

Celler's





# Contenta.

## D. BALTHASERIS CELLARII DISPUT:

1. Discussio Principuorum fidei capitulum inter Protestantes  
et Pontificias controversas. & Albrecht 57.
2. De Primo Religionis Christianae principio & Mattayeman 59.
3. De Divina rerum Scientia, futurorumq; contingentium  
praescientia & Enckhisen 59.
4. De Divina voluntate & Boning 59.
5. De Divina Bonitate & Hackeman 60.
6. De Nonnullis Scripturae locis Divinae bonitatis in speciem  
contrariis & Hantelman 1660.
7. Aurea salutis catena e cap. 8. v. 29. 30. ad Rom. & Wess p. Lic. 1660.
8. De Principis fidei Orthodoxae controversis & Rosa Ap. 57.
9. De peccato originis & Froboß. 60.
10. De Libero arbitrio. & Mener 1652.
11. De peccato & Ulrici 1654. 12. De Ecclesia & Born 1650.
13. De Republica spirituali seu de Ecclesia & Siebert 1651.
14. De Bonorum operum studio omnibus, qui salvari cupiunt,  
summopere necessario & Bercking 1651.
15. De Visione Dei & Lüden 59.
16. De cultu S. Mariae virginis apud Pontificios p. Lic. & d. Sellanig.
17. De Communione sub utraq; specie. & Haberland 66.
18. De Scriptura Sacra. & Otho 19. De peccato originis & Spuerli, 1650.
20. De Justificatione. & Dürr. 21. De Bonis justificatorum operibus & Linig 50.
22. De Sacramentis in genere et in specie de Baptismo & Confirmatione  
& N. N. 1651.
23. De Eucharistia seu Coena Domini & Schmidt 1651.
24. De Poenitentia & Lupke. 25. De Extrema unctione & Mejer 1651.
26. De Communione sub utraq; specie et parvulorum & Heisius 52.
27. De Sacrificio Missae & A. Fröling. 1652.
28. De Ordine seu Ministerio Ecclesiastico & m. Walmig 1652.
29. De Matrimonio & Goslar. 30. De Purgatorio & Otte Kop 1654.
31. De cultu Sanctorum & Gieseke 54. 32. De Sanctorum  
Reliquiis earumq; cultu et veneratione. & Gecius 1656.



33. De Sacris Imaginibus & Ath 34. De Indulgentiis & Timae 57.  
D. GERHARDI TITII Disput.

35. De Theologia in genere & Kleffel 68.

36. Ostensio Summaria quod Pontificij dogmata sua sibi pe-  
culiaria non possint unanimi Scriptorum Ecclesiasticorum  
e quinque prioribus post natum servatorem seculis superstitum  
et consensu probare, 1658 Helmstedt. in Cap. 10. div.

37. Vili Frbermanni animadversionis in Ostens. Summaria q Pontificij etc.  
Castigatio H. Epist. Herm. Conringij.

38. De Papa et Papatu Romano & N. Jollerij 1672.

39. M. Rup. Gthonis disputationes Acad. qby controversa dogmata inter Protest.  
et Pontificios excutiantur et Erhardus S. R. P. Comes Treuchles de  
Weshausen S. R. C. R. Can. Hon. a puriore Ecclesia devius  
ostenditur. 1653. sub Psid. Titij.

40. Pila Sophistica de Judice Controversiarum in negotio fidei  
q Adrian. et Petr. de Walenburg etc.

41. In primu et du Motiva Ill<sup>mi</sup> Hassii Landgravii Emeshomine  
ab Adr. et Petr. de Walenburg consignata Animadversiones  
Theologicae.

42. Fruetzung des Hildesheimischen Prohibitions der Aufhebung d. luth.  
Kirchen in pferden Markum Conrad Henrici  
Hildesheim 1653.

43. Anhang der Fruetzung des Hildesheimischen Prohibitions etc.

44. Kurze Heimfuehrung M. Otto Sonnenmans Apokatafelydigung  
aller in d. Fruetzung des Hildesheimischen Prohibitions  
Hildesheim 1653.

45. Prohibitions der Aufhebung d. luth. Kirchen  
in Conrad Henrici 1653 zu Hildesheim  
Hildesheim 1653.

46. Fruetzung des Hildesheimischen Prohibitions  
Hildesheim 1653.

47. De MATHROKLEIA Antiquitatis suco a Pontificiis illita  
sub Psid. D. Chr. Chemnitij & Hieron. Passeri Sena 1663

48. De Genuinis verae Antiquitatis notis secundum Vincentium Lerinij  
sem. eiq in pbandis fidei dogmatibz autoritate et pondere sub Praesid.  
D. Hildebrandi & M. Altius. 1660.

49. Canonizatio Sanctorum Pontificia sub Psid. Nierannij  
& Nasser 1664.



Summelle!

7

10

11



*Q. D. F. F. Q. E. I.*  
DISCVSSIO  
PRÆCIPUO.  
RVM FIDEI CAPI-  
TVMINTER PROTESTAN-  
TES ET PONTIFICIOS CON-  
TROVERSORUM

DISPUTATIONIBUS ALIQUOT COMPRE-  
HNSA, ET PUBLICE IN ILLUSTRI JULIA  
AD EXAMINANDUM PRO-  
POSITA

PRÆSIDE  
BALTHASARE CELLARIO  
SS. THEOL. D. ET PROF. PUBL. NEC NON  
SVPERINT. GENER.

AUTHORE & RESPONDENTE  
JOHANNE ALBRÉCHT.  
HILDESIENSI.



HELMESTADII,  
TYPIS JACOBI MÜLLERI.  
ANNO clō lōc LXVII.

*Valentin Bernh.  
Mylus.*



FELICISSIMO OMNIS SOLIDÆ  
ERVDITIONIS ASSERTORI, DIVI-  
NIORVMQVE STVDIORVM  
FAVTORI LAVDATISSIMO,

V I R O

PLVRIMVM REVERENDO, AMPLIS-  
SIMO, CLARISSIMO,

DN. IOHANNI IVSTO OL-  
DECOPIO,

PHILOGIÆ IN ILLVSTRI GYMNA-  
SIO LUNÆBURGICO PROFESSORI

PUBLICO ORDINARIO

LONGE DIGNISSIMO,

LONGE CELEBERRIMO,

UT ET

REVERENDI MINISTERII AD DIVI  
MICHAELIS ADIUNCTO

MERITISSIMO,

MÆCE-



MÆCENATI AC PATRONO  
SVO  
COLENDISSIMO, OBSERVANDISSIMO,  
HANC DE  
FIDEI ET CONTROVERSIARVM THEO-  
LOGICARVM PRINCIPIO EXERCI-  
TATIONEM,  
DISCVSSIONIS PRÆCIPVARVM INTER  
PROTESTANTES ET PONTIFICIOS  
CONTROVERSIARVM PRIMAM,  
SPECIMEN STUDIORUM SUORVM  
THEOLOGICORVM PRIMVM,  
IN DEBITÆ OBSERVANTIÆ  
SYMBOLON  
OFFERRE,  
CONSECRARE,  
INSCRIBERE,  
ET  
SI MAGNA PARVIS REFERRE FAS EST,  
RELIGIONUM PARSIMONIAM IMITAT,  
SEX.





SEXCENTA BENEFICIA AB ALIQVOT RE-  
TRO ANNIS SIBI COLLATA, NVLLAQVE DIE,  
NVLLA TEMPORIS VETVSTATE, NON CASV  
VLLO AVT FORTVNA EX ANIMO DELEN-  
DA, BREVI PAGINA, CERTISSIMA TAMEN  
GRATI ANIMI SUI INDICINA, TANQVAM PAR-  
VO AERE INPRÆSENTIARUM VE-  
NERARI,  
SEQVE ET SUA STVDIA VLTERRVS COM-  
MENDARE

VOLUIT,

DEBVIT,

IOHANNES ALBRECHT.  
Hildef. A.





I. N. I.  
DISPUTATIO PRIMA  
*De*  
FIDEI ET CONTROVERSIARVM  
THEOLOGICARVM PRINCIPIO.

PRÆSIDE  
BALTHASARE CELLARIO SS.  
THEOL. D. & P. P. nec non Su-  
perintendente Generali.

A. & R.  
JOHANNE ALBRECHT. HILDES,  
*Proœmium.*



Ræcipuas, quæ cum Papistis ( ita enim appellari amant , adeò ut Stanislaus Hosius Cardinalis in suo , quod fecit testamento, secundùm illud, quo Christiani censentur nullum vel gloriosius vel salutare magis nomen sibi tribui posse existimet, omnemq; qui Papi-  
*sta non est, Sathanistam* vocet ) nobis intercedunt, controversias Disputationibus nec multis nec operosis complexuri haut abs re fore arbitramur, si quis futurus sit laboris hujus ordo & methodus verbò in antecessum expediverimus. Rectè autem omnino eorum, quæ hoc tempore in controversiam vocantur, duo esse genera scribit Jacobus Gordonus Huntlæus non infimi inter Socios subsellii Theologus Contr. I. c. I. adversus  
A hujus



hujus temporis Hæreticos, quorum quedam, inquit, sunt veluti generalia principia & fundamenta: alia ad speciales quaestiones pertinent. Inter generalia & ipse enumerat Verbum Dei & Ecclesiam (Romanam scilicet, sive Pontificem) cujus placita non per omnia sectari, ipsi est spem æternæ salutis habere nullam. Nobis igitur eandem materiam deinceps versaturis nemo puto, vitio vertet, si & eadem methodo, diversa quamvis sententiâ incesserimus. Sit ergo ista nostrarum Exercitationum partitio, ut primò generalia illa, sicut loquitur Huntæus, eâ, qua par est, diligentiam examinemus, & deinde ad singulas ex præcipuis controversias in specie discutiendas transeamus. In utroque illud quasi ob oculos positum perpetuò spectabimus, ne quicquam afferatur, quod non constituto prius verò controversiæ statu paucis quidem, sed tamen idoneis argumentis, & quæ possint τὸς ἀνελέγοντας ἐλέγχειν, sit munitum, petitis ex ipsa primò S. Scriptura, vel iisdem verbis, vel æquipollentibus, vel per consequentiam saltem firmam & legitimam; secundò ex concordia antiquitatis Ecclesiasticæ consensu; (quem tamen non verbote nus semper transcribemus, sed unde peti debeat, ubi opus fuerit, monstrabimus) & denique ex ipsorum quandoque Pontificiorum confessione, quippe cum ea veritatis vis sit, ut etiam adversarios cogat interdum sibi testimonium dare, rectissimè ita scribente Bellarmino l. IV. de not. Eccl. c. 16. n. 1. Tandem argumenta in speciem contraria, quæ quidem alicujus momenti visa fuerint, paucis etiam diluemus, intentò per omnia & semper in brevitate animò: hanc enim sectandam nobis proposuimus.

### THESIS I.

**I**N omni cognitione humana ponenda esse prima quædam, ultra quæ ratiocinando adurgere non liceat, fatentur omnes, quotquot intellectum, divinæ particulam auræ, haut frustra mortalibus à Deo concessum esse, perspiciunt. Sunt autem duum generum principia, communia alia, alia propria. Ita ex aliis Ethicum, ex aliis Geometricum, & rursus ex aliis Physicum, atque



que adeò quemlibet scientificum ex domesticis suis principiis demonstrando progredi videas; quæ tamen omnia in primum illud, commune & ultimum tandem resolvuntur: *Quicquid recta ratio dicitur, hoc est verum.* Pari modo Theologia cum & ipsa res fidei h. e. credenda ad eum modum tractet, ut unum ex alio deducendo procedat, necesse etiam est, eam sibi in aliquo primo credito, ex quo reliqua deducat, & ad quod reliqua exigat sive examinet, num in eo actu vel virtute contineantur. Nisi enim in aliquo sistat, aut probando in infinitum abibit, aut in circulo circumagatur, quod utrumque æquè est absurdum. Perinde ergo ut in iis, quæ solius rationis beneficio ex sola ratione deducuntur, non nisi unica ratio principium est: ita & in iis, quæ non nisi per specialem revelationem apprehendi possunt ipsa supernaturalis revelatio, sive Scriptura sacra, principium sit, necesse est; principium, inquam, Theologiæ primum, *οὐκείον* sive proprium & incomplexum, quo omnia credenda & omnia agenda, sive quod Sacramenta attinet, sive quod vitam & mores, demonstrari possunt ac debent. Ex quo sponte sua fluit principium hocce complexum, & in ordine ad nostram cognitionem omnium primum: *Quicquid S. Scriptura dicit, illud est infallibiliter verum.*

II. Atque hoc, quod de Scriptura eum principio fidei diximus, adeò est perspicuum, ut Thomas Aquinas ex illustri Comitum Aquini familia in finibus Campaniæ splendidissimis parentibus ortus, quem *Theologorum ac Philosophorum omnium sine ulla controversia principem* *S. xtus Senensis* l. 4. Bibl. Sanct. vocare nullus dubitat, hac in partè nobis per omnia subscribat. *Dicendum*, inquit part. 1. q. 1. art. 8. ad secundum, *quod argumentari ex auctoritate est maximè proprium hujus doctrinæ, eo quod principia hujus doctrinæ per revelationem habentur. Et sic oportet quod credatur auctoritati eorum, quibus revelatio facta est. Nec hoc derogat dignitati hujus doctrinæ: nam licet locus ab auctoritate, quæ fundatur super ratione humana, sit infirmisimus: locus tamen ab auctoritate, quæ fundatur super revelatione, est efficacissimus. Uti- tur tamen Sacra Scriptura etiam ratione humana, non quidem ad*



probandam fidem (quia per hoc tolleretur meritum fidei) sed ad ma-  
 nifestandum aliqua alia, quae traduntur in hac doctrina. — Sed  
 tamen S. doctrina huiusmodi auctoritatibus utitur quasi extraneis ar-  
 gumentis & probabilibus. Auctoritatibus autem Canonica Scri-  
 ptura utitur propriè ex necessitate argumentando. Auctoritatibus  
 autem aliorum doctorum ecclesiae, quasi arguendo ex propriis, sed  
 probabiliter. Innititur enim fides nostra revelationi Apostolicæ &  
 Prophetis facta, qui Canonicos libros scripserunt. Non autem re-  
 velationi si qua fuit aliis DD. facta. Unde dicit Aug. in ep. ad Hie-  
 ron. Solis enim Scripturarum libris, qui canonici appellantur, didi-  
 ci hunc honorem deferre, ut nullum auctorem eorum in scribendo er-  
 rasse aliquid, firmisimè credam. Alios autem ita lego, ut quantalis-  
 bet sanctitate doctrinaque prepolleant: non ideo verum putem quod  
 ipsi ita senserunt vel scripserunt. Idem in comment. ad c. i. l. i.  
 Dionysii de divinis nominibus, & quidem ad hæc eius verba:  
 Non est audendum dicere, aliquid, nec etiam cogitare de super sub-  
 stantiali occulta deitate præter ea, quae divinitus nobis ex sanctis co-  
 loquiis sunt expressa; sic commentatur: Ostendit ex quibus proce-  
 dendum sit in hoc opere, quia non est innitendum rationi humane ac-  
 cipiens hoc ab Apostolo, qui dicit 1. Cor. 2. Non in persuasibilibus  
 humane sapientiæ verbis, sed in doctrina spiritus spiritualibus. Esto  
 autem etiam lex eloquiorum, id est quæ in sanctis Scripturis traditur  
 prædefinita, id est prædeterminata à nobis, sicut olim fuit ab Apo-  
 stolo, quæ quidem lex est, nos asseverare, id est adstruere & vel ma-  
 nifestare veritatem dictorum de Deo non in persuasibilibus humane  
 sapientiæ verbis, id est non innitentes sicut principalibus mediis ad  
 probandum principis humane sapientiæ, quæ secundum naturalem  
 rationem procedit: sed in demonstratione virtutis Theologorum, id  
 est eorum, qui Scripturam Canonicam tradiderunt scilicet Apostolo-  
 rum & Prophetarum, virtutis dico mota à Spiritu scilicet Sancto.  
 Innititur enim in sua doctrina Dionysius auctoritati Sacra Scriptu-  
 ra, quæ robur habet & virtutem, secundum quod Apostoli & Prophe-  
 ta moti sunt ad loquendum à Spiritu S. eis revelante & in eis lo-  
 quente. Hisce jungantur, quæ ab eo traduntur sec. secundæ q. i.  
 art. 9. ad 1. Dicendum, ait, quod veritas fidei in sacra Scriptura diffu-  
 se



❁❁❁

sè continetur, & variis modis, & in quibusdam obscure ita, quod ad eliciendam fidei veritatem ex S. Scriptura requiritur longum studium & exercitium, ad quod non possunt pervenire omnes, quibus necessarium est cognoscere fidei veritatem, quorum plerique aliis negotiis occupati studio vacare non possunt; & ideo fuit necessarium, ut ex sententiis S. Scripturae aliquid manifestum summarie colligetur, quod proponeretur omnibus ad credendum: quod quidem non est additum S. Scripturae, sed potius ex S. Scriptura sumptum. Dum itaque Thomas sacram doctrinam, quæ creditu & factu ad salutem necessaria tradit & proponit, auctoritatibus Canonicae Scripturae inniti, indeque omnia, quæ omnibus ad credendum proponi debent, de promenda esse docet, non potest non Scripturam S. pro primo, domestico, unico & adæquato fidei Christianæ principio habere.

III. Ut tamen hoc ipsum omnibus, qui quidem sana mente præditi adhuc sunt, ob oculos quasi ponatur, ita argumentamur: Cui doctrina sacra, quæ creditu & factu ad salutem necessaria tradit & proponit, sic innititur, ut inde, ubi aliquid probandum & confirmandum, propria & necessaria argumenta petenda, illud ipsum est fidei sive Christianæ Religionis proprium & domesticum principium. Atqui sacra doctrina, quæ creditu & factu ad salutem necessaria tradit & proponit, juxta Thomam Canonicae Scripturae & revelationi Apostolis & Prophetis factæ sic innititur, ut inde, ubi aliquid probandum & confirmandum, propria & necessaria argumenta petenda, E. Canonica Scriptura sive revelatio Apostolis & Prophetis facta proprium est & domesticum fidei vel C.R. principium. Rursus: Unde omnia credenda primò sumuntur, illud est primum fidei principium. Atqui è S. Scriptura juxta Thomam illa primò sumuntur, E. S. Scriptura primum est fidei principium.

IV. Cum Thoma facit hac in parte Alphonsus à Castro, cujus verba, cum & ipsa digna sint, quæ hîc legantur, huc transferibemus: Sunt, inquit l. 1. adv. Hæret. c. 2. in unaquaque scientia principia in ea notissima, tanquam communia omnibus aliis, qui-



bus sublatis, ut Aristoteli placet, nullus disputationi relinquitur locus, nullumq; telum, quo configere possis adversarium. Nam sicut in aliis scientiis prima earum principia nullus, qui ea confiterur, negat; ita in negotio fidei pro unico & indubitato principio à quolibet, qui se pro Christiano gerit, haberi debet, verum esse quicquid in sacris Codicibus continetur. Et paulo post: Scripturarum ergo testimonia tanquam prima in hac scientia principia & velut arma omnibus communia suscipienda sunt, quibus & hereticum se tueri oportet, & nos adversus eum pugnare.

V. Huic Alphonsi, & Thomæ de principio fidei & controversiarum sententiæ si Pontificii etiamnum hodie insisterent, inter nos & illos hac in parte nulla remaneret controversia. Verum enim verò tantum abest, ut illi eidem inhæreant, sive in ea acquiescant, ut potius ab ea nimium quantum deflexerint. Præterquam enim quod S. Scripturæ seu Verbo Dei scripto superaddunt Verbum Dei non scriptum sive Traditiones, nonnulli eorum eo usque progressi sunt, ut Ecclesiam Catholicam, hoc est Pontificiam, vel potius Pontificem solidum & verissimum fidei fundamentum esse adeoq; credenda firmiter omnia, quæ credit Romana Ecclesia, & sine hac fide nullam esse spem æternæ salutis cum Huntlæo contr. II. cap. 13. & contr. I. c. 1. afferere nulli dubitent. Hinc quanta possunt contentione id agunt, ut Ecclesiæ sive Pontificis auctoritatem supra omnia extollant; contra verò auctoritatem Scripturæ, quibus possunt, modis elevent ac infringant. Est scilicet Gretsero in Colloq. Ratisb. Sess. 1. Pontifex Romanus Judex generalis legitimus, ordinarius, omnium controversiarum, quæcunque possunt oriri in negotio religionis, sive solus definiat aliquid, sive definiat cum Concilio generali. Et iste judex semper est infallibilis, quando è cathedra definit ut Pontifex nulli errori obnoxius. Contra verò S. Canonica Scriptura, quæ Magno Athanasio in Synopsi S. Scripturæ est fidei nostra velut anchora & firmamentum, Origen. tract. 27. in Matth. verissima regula in dogmatibus, Chrysostomo hom. 13. in 2. ad Timoth. exquisita omnium rerum trutina ac regula, Johanni Eckio in Ench. loc. comm. adversus Lutherum de Eccles. non est authentica sine auctoritate Eccle-



*Ecclesia; Francisco Costero in Enchir. Controv. de S. Script. c. 1. est litera mortua scripta atramento in membrana vel charta. Hunt. lao contr. 1. de Verbo Dei c. 3. instar nasci cerei, qui in quamvis parte flectitur, ac origo omnium ferè heresum, Lutheraniq; , qui Scripturas Canonicas in pretio habent, earumque ductum unicè sequuntur, Theologi atramentales secundùm corticem & superficiem Eckio lib. cit. de Script. dicuntur.*

VI. Veluti autem Scriptura S. est prima credendi regula: ita maximè etiam est eminentiæ & dignitatis, inq; eo autoritatis fastigio collocata, ut sub sole nihil hac in parte par ei sit, aut haberi debeat. Quoniam videlicet tota Scriptura S. à Deo, qui est summè bonus & verax, summè item potens, quique in omnes creaturas summum obtinet imperium, suam habet originem, seu ut Apostolus loquitur II. Tim. III, 16. *tota  $\gamma\epsilon\omicron\tau\alpha\ \nu\epsilon\upsilon\varsigma$  & sive divinitus inspirata, non potest non autoritas ejus divina, summa & maxima esse, cum autoritas auctoris & doctrinæ sive scripti vel mandati ab eo profecti quoad rem una eademque sit, hoc saltem cum discrimine, quod ipsi auctori per intrinsecam, scripto vero vel mandato ab eo profecto per extrinsecam denominationem, sive quia ab eo profectum, competat.*

VII. Ob hanc ipsam S. Scripturæ autoritatem, quæ summa est & maxima, nos, quibus illa constat, non minus firmiter credimus summa fidei mysteria captum humanum longè transcendentia, adeoque in se inevidentia, quàm quæ ex ipsis terminis nobis innotescunt & per se nota sunt, qualia sunt illa: *Bis duo esse quatuor, bis tria esse sex &c.* Ideo scilicet credimus unum Deum in personis trinum, item Christum esse verum Deum & hominem, eundemque resurrexisse, quia Scriptura id dicit, seu quod idem est, quia per Scripturam Deus id nobis revelavit. *Quemadmodum enim (verbis utor B. D. Calixti Disp. de Aut. S. S. §. 16.) quod principia per se nota attinet, ratio ad sentiendum est quod sint per se nota; & ab his ipsis tamen propositionibus reapse non distinguitur tò notum esse per se, sed uno & eodem conceptu concipiuntur tanquam nota per se & propterea tanquam verissima, quibus ad sensum præberi omnino oporteat: ita quoque quod revelationes divinas attinet,*  
ratio



ratio adfentiendi est, quod divinitus sint revelatae, & sub hac ipsa ratione tanquam verissima & ad sensu dignissima apprehenduntur & creduntur.

VIII. Quemadmodum autem credimus Scripturam propter seipsam, sive quia Deus per eam loquitur, & non propter auctoritatem Ecclesiae: ita & fides nostra ultimò resolvitur in auctoritatem Scripturam, non verò Ecclesiae. Quod ipsum adeò manifestum rursus est, ut Martinus Becanus id disertis verbis doceat Theol. Scholast. T. post. tract. I. de Fide c. I. q. 2. n. 9. Cum enim hunc in modum sibi prius objecisset: *Dicis: Assensus fidei videtur ultimò resolvi in auctoritatem Ecclesiae. Nam si quaram, quare credis articulos fidei? Respondebis: quia Deus revelavit. Si iterum quaram, quare credis Deum revelasse? Respondebis: quia Ecclesia Catholica hoc dicit; Ergo ultima resolutio fit in Ecclesiam.* ita deinceps subjicit: *Respondeo: Tripliciter credi potest, Deum hoc vel illud revelasse. Primò propter se, & tunc est assensus fidei Theologica, de quo hîc agimus. Secundò propter auctoritatem Ecclesiae dicentis, & tunc non est assensus fidei Theologica, sed alterius inferioris ordinis. Tertio propter auctoritatem hominis, & tunc est assensus fidei humane. Primus assensus sic explicatur: Credo Deum hoc revelasse, non propter aliud, sed immediatè propter se. Secundus sic: Credo Deum hoc revelasse, quia Ecclesia dicit. Tertius sic: Credo Deum hoc revelasse, quia homo dicit. Itaque primus assensus non resolvitur ulterius, sed sistit in ipsa revelatione divina, qua creditur propter se ipsam. Secundus resolvitur in auctoritatem Ecclesiae. Tertius in auctoritatem hominis. Idem Becanus opusc. de Circ. Calvin. n. 30. auctoritatem Ecclesiae inter motiva sive argumenta inducentia refert, & πολυβρύλλητον illud Augustini: *Ego verò Evangelio non crederem, nisi me Ecclesia Catholica commoveret auctoritas; rectissimè his verbis explicat: Loquitur Augustinus de acceptatione fidei, non de fide ipsa secundum se. Nam si sermo sit de fide secundum se, procul dubio credebat Evangelio propter revelationem Dei. At quia sermo erat de acceptatione fidei, inquit, se auctoritate Ecclesiae induci, aut permoveri, ut fidem Evangelii acciperet.**

Infi-



IX. Insigniter proinde ex Pontificiis errant, qui Scripturæ autoritatem ab autoritate Ecclesiæ sive Pontificis ita suspendunt, ut Ecclesiæ autoritatem & potestatem S. Scripturæ autoritate & potestate majorem esse contendant; imò omnem autoritatem suam Scripturam ab Ecclesia habere, adeò audacter pronunciant. Si enim Scripturæ autoritas est divina adeoque summa & maxima, uti ostendimus, Ecclesiæ autoritas non poterit dici superior & major, cum implicet, summum aliquid se superius, & maximum aliquid in eo genere se majus habere. Præterea cum S. Scripturæ autoritas re ipsa eadem sit cum autoritate Dei, quæ sanè est maxima, vel hinc apparet Ecclesiæ autoritatem Scripturæ autoritate nec majorem nec superiorem esse, neque Scripturam eam ab Ecclesia, sed ab ipso Deo habere. Testatur equidem Ecclesia de S. Scriptura, adeoque indicat, hisce vel illis libris sacram Scripturam contineri; inde verò non licet inferre, quod Sacra Scriptura omnem suam ab Ecclesia sortiatur autoritatem. Quemadmodum videlicet, qui testatur hos vel illos libros Aristotelis esse, per hoc, quod illud testatur, autoritatē illis nullam largitur, utpote quam ab Autore ipso habent: ita nec Ecclesia, quæ de eo perhibet testimonium, quod hi vel illi libri sint divinitus inspirati divinasque contineant revelationes, hoc ipso illis divinam impertit autoritatem, quam ab ipso Deo habet.

X. Firmum itaq; hoc esto, S. Scripturæ autoritatem esse maximam, & ut Augustinus loquitur, *eminentissimam*, adeò ut nec Ecclesia, nec ipsa ejus concilia, nec Pontificis decreta, nec scripta quæpiam alia in pari censu cum illa sint habenda, multò minus eidem anteferenda. Id quoniam Alphonsus à Castro Hispanus *acri ingenio vir*, prout eum Sixtus Senensis describit, egregiè & prolixè ostendit, ipsa ejus verba adscribere operæ pretium esse arbitramur. Ita verò ille l. i. adversus Hæreses c. 2. *Post istas, inquit enumeratas Scripturas non est alia que Canonica Scriptura, aut divina mereatur appellari. Nam quamvis alia multe sint, que magnam habeant autoritatem, multo tamen prænumeratis imparem. Canones siquidem Apostolorum numero L. per B. Clemen-*



tem (ut dicitur) aut collecti aut translati primum post Scripturas sa-  
 eras tenent locum. Quapropter B. Isidorus in eo volumine, quo omnium  
 conciliorum decreta congesit, Canones Apostolorum ante omnium concilia-  
 rum decreta locavit, non quod major sit illis authoritas quam cuiuscun-  
 que concilii, ut decet, congregati, sed propter Apostolorum ut suspicor,  
 maiorem reliquis omnibus & sanctitatem & dignitatem. Conciliorum  
 siquidem omnium probe congregatorum decreta firmissimam habent  
 authoritatem, quibus nemini licet repugnare. Nec tamen ideo Conci-  
 liorum decreta sicut nec Apostolorum Canones pro Scripturis di-  
 vinis habenda sunt, cum divinas preceptiones nulli liceat evertere  
 aut immutare: Apostolorum autem Canones & Conciliorum decre-  
 ta, novis succedentibus causis in multis antiquata sunt. Post concilio-  
 rum Decreta proximum locum tenent decretales epistolae à sum-  
 mis Pontificibus emissa, longè tamen in his, quae fidem Catholicam  
 spectant, à Conciliorum definitionibus earum authoritas abest. Quo-  
 niam Papa in fide errare potest, ut melius sentientes tenent, etiam ex  
 his qui papatui plurimum favent. — Unde manifestè error Gra-  
 tiani deprehenditur, qui in volumine decretorum in exordio distin-  
 ctionis vicesima ita dicit: Decretales itaque Epistolae canonibus  
 conciliorum pari jure exaequantur. Hoc autem vel ex eo convin-  
 citur esse falsum, quod nulla recta ratio patitur, ut regula, quae à recti-  
 tudine deviare potest, nullo pacto aequetur rectissimae atque certissimae  
 infallibiliq; regula. — Rursus plurimae Pontificum epistolae de-  
 cretales per contrariam consuetudinem abrogantur, quod nullo pacto  
 Canonicis divinae Scripturae libris convenire potest, cum illis nulla  
 quantumlibet inveterata consuetudo obesse possit. Accedit huic,  
 quod magna ruditas est, eas epistolas, quae saepe ob res temporales eas-  
 que parvi momenti editae sunt, divinis Scripturis de longinquo confer-  
 re, tantum abest, ut in earum ordinem referantur. Hæc ille sic satis  
 rectè; licet in eo haut leviter erret, quod paulo ante Cano-  
 nicis Scripturae sacrae libris non-Canonicos seu Apocryphos ac-  
 censeat, eisdemque parem cum Canonicis auctoritatem deferat.

De Cano-  
 nicis Scri-  
 pturis

XI. Sunt autem libri in sacro codice comprehensi non  
 unius generis: quidam enim sunt verè Canonici, ex eo sic dicti, quod  
 sint fundamentum & columna fidei nostrae, ceu loquitur Irenaeus l.

III.



XIII. de hæresibus c. x. *vel omnium exactissima trutinæ, & gnomonæ & Canon, eorum scilicet, quæ ad fidem & mores pertinent, ut habet Chrysoft. homil. XIII. in II. epist. ad Corinth. De quibus cum inter nos & Papistas nulla sit controversia, iisdem longa serie recensendis modò superfedemus. Quidam verò sunt Apocryphi sic appellati secundum Augustinum l. xv. de C. D. c. 23. quod eorum occulta origo non claruerit patribus, à quibus usque ad nos autoritas veracium Scripturarum certissima & notissima successione pervenit; vel secundum Hieronymum, quod, ubi dogmata fidei probanda, occultari debeant. Legat, inquit, præfat. in Prov. Salom. eos Ecclesia ad edificationem plebis, non ad auctoritatem dogmatum Ecclesiasticorum confirmandam. Idem Apocryphi alio quoque nomine vocantur Ecclesiastici: Unde Rufinus in expositione Symboli cum libros Canonicos enumerasset, subjicit: Sciendum est, quod & alii libri sint, qui non Canonici sed Ecclesiastici à majoribus appellati sunt. — — — Que omnia legi quidem in Ecclesiis voluerunt, non tamen proferri ad auctoritatem ex his fidei confirmandam. Hujusmodi verò sunt liber Tobie, Judith, Sapientie, Ecclesiasticus, Baruch, libri duo Maccabæorum, appendix Estheris & Danielis.*

XII. Illud vero inter utrosque intercedit discriminis, quod prioris qui sunt generis, hoc est Canonici, soli sint idonei fontes, è quibus *prima Ecclesia ac fidei elementa suscipientes verbi Dei hauriant pocula*, ut loquitur Rufin. l. c. sive, è quibus doctrina fidei & morum peti & confirmari debet: posterioris verò qui sunt generis h. e. Apocryphi sive Ecclesiastici, licet in Ecclesia utiliter legantur, ad confirmandam tamen fidem adhiberi haut debent; cum, sint né ex divina inspiratione conscripti, satis certò non constet.

XIII. Hoc tamen non obstante Papistæ, cum primis verò Tridentini temerario planè ausu Apocryphos sive Ecclesiasticos modò memoratos pro divinis & Canonicis Scripturis sub anathematis pœna nobis obtrudere fatagunt Sess. IV. hunc in modum determinantes: *si quis libros ipsos integros cum omnibus suis partibus, prout in Ecclesia Catholica legi consueverunt & in ve-*



teri vulgata Latina editione habentur, pro sacris & Canonicis non susceperit, anathema sit. Hoc videlicet insolentes Tridentini agunt, ut quantum in iis est, insulsô hocce decretô, utilem & necessariam illam, inque veteri Ecclesia receptam inter Canonicos & Apocryphos sive Ecclesiasticos libros distinctionem ex Ecclesia penitus proscribant, proque ea, qua pollent, potestate ex non-Canonicis Canonicos faciant; imò quod horrendum dictu est, omnes hac in re à se dissentientes anathemate feriant.

XIV. Quod si autem omnibus illis juxta Tridentinos anathema dicendum, qui Apocryphos sive Ecclesiasticos pari in censu cum divinis & Canonicis non habent, non antiqui tantum optimæ notæ Doctores, sed ex Papistis etiam aliqui nostræ sententiæ accedentes diram hancce censuram effugere vix poterunt. Sanè Melito Sardensis in minori Asia Episcopus, qui seculô II. à Christo nato vixit, libros illos Ecclesiasticos Canonicis haut accenset, quando eorum Catalogum texit in epistola ad Onesimum, quæ legitur apud Eusebium l. iv. Hist. Eccles. c. 25. Magnus Athanasius, qui seculo IV. floruit, recitatis in Synopsi Scripturæ V. T. Canonicis libris è vestigio subjungit: *Præter istos autem sunt adhuc alii ejusdem V. instrumenti libri non Canonici, qui Catechumenis tantum leguntur; Sapientia Salomonis, Sapientia Jesu filii Syrach, Esther, Judith, Tobias. Isti sunt libri V. T. non Canonici.* Quidam verò ex veteribus apud Ebraeos pro Canonicis reputari dixerunt librum Esther & Historiam Ruth, eamque cum historiis Judicum unô librô comprehendi, Esther verò ad aliud quoddam volumen pertinere. Eodem seculo vixit Epiphanius, qui cum libros Canonicos recensuisset in l. de mensura & ponder. ita addit: *Quod ad duos illos attinet, qui versibus distincti sunt, Salomonis videlicet Sapientiam, quæ Panaretus inscribitur, & Jesu filii Sirach librum Jesu nepotis, qui Sapientie librum Ebraicè scripsit, quem nepos ejus Jesus Gracè reddidit; tamen si utiles & fructuosi illi sint, in Scripturarum Canonicarum numerum nequaquam referri solent; Unde nec in testamenti arca collocati sunt.* Hieronymus eodem seculô IV. circa finem prætat. in prov. Salom. Sicut, inquit, *Judith. & Tobie & Maccabæorum libros legit quidem Ecclesia, sed eos*



eos inter *Canonicas Scripturas* non recipit: sic & hæc duo volumina (np. *Sirach. & Sapientiam Salomonis*) legat ad adificationem plebis, non ad *authoritatem Ecclesiasticorum dogmatum confirmandam*. Quid *Ruffinus Hieronymo*  $\omega\gamma\gamma\omega\upsilon$   $\Theta$  senserit, jam tum superius exposuimus.

XV. *Seculo IIX.* floruit *Johannes Damascenus*, qui, cum *Catalogum librorum Canonicorum V.T.* recitasset l. IV. de *orthod. fide* c. 18. nostræ haut obscure adstipulatur sententiæ, hunc in modum scribens: *Panaretus autem i. e. Sapientia Salomonis & Sapientia Jesu, quem pater Sirachi Ebraicè exposuit, Gracè autem interpretatus est nepos quidam ejus, Sirachi autem filius Jesus, boni quidem sunt & pulchri, sed non annumerantur, (canonicis) neq; in arca repositi erant.* *Seculô IX.* vixit *Strabus Fuldensis* autor *Glossæ ordinariæ*, qui in præf. istius operis inter alia sic scribit: *Quia sunt multi, qui ex eo quod non multam operam dant Scriptura Sacra, existimant omnes libros, qui in Bibliis continentur, pari veneratione esse reverendos atque adorandos, nescientes distinguere inter libros Canonicos & non Canonicos, quos Hebræi inter Apocrypha computant, unde sepe coram doctis ridiculi videntur & perturbantur scandalizanturque, cum audiunt aliquem non pari cum cæteris omnibus veneratione prosequi aliquid, quod in Bibliis legitur, idcirco distinximus, & distinctè numeravimus. primò libros Canonicos, & postea non Canonicos, inter quos tantum distat, quantum inter certum & dubium. Et paucis interjectis: sunt igitur libri Canonici V. T. viginti duo, ad numerum viginti duarum literarum Hebræorum &c. Et Canonicis libris deinceps recensitis subjicit: Quicquid autem extra hos est (de V. T. loquor) ut dicit Hieronymus, inter Apocrypha est ponendum. Isti sunt libri, qui non sunt in Canone, quos tamen Ecclesia ut bonos & utiles libros admittit, non ut Canonicos.*

XVI. *Seculô XII.* *Hugo de S. Victore* l. xv *Erud. didasc.* c. 2. recitatis ordine libris Canonicis V. T. statim subdit: *Sunt præterea alii quidam libri, ut Sapientia Salomonis, liber Jesu filii Sirach & liber Judith, & Tobias, & libri Maccabeorum, qui leguntur quidem, sed non scribuntur in Canone.* Hic conformia scribit



Nicolaus Liranus seculô XIV. præfat. in Tobiam: *Postquam, ait, auxiliante Deo scripsi super libros Sacra Scriptura Canonicos incipiendo à principio Genesis & procedendo usque ad finem Apocalypseos, de eiusdem confisus auxilio super alios intendo scribere, qui non sunt de Canone, scilicet liber Sapientie, Ecclesiasticus, Judith, Tobias & libri Machabeorum, secundum quod Hieronymus in prologo Galeato ait, qui præmittitur libris Regum, & idem dicit de libro Baruch in eius prologo. Nec ab his aliena sunt, quæ Thomas de Vio Cajetanus in collegium Cardinalium à Leone X cooptatus seculô XVI in fine commentar. in historiam V. T. scripta nobis reliquit ante habitum adhuc Concilium Tridentinum: Hoc, inquit, in loco terminamus commentaria librorum historialium V. T. Nam reliqui (nempe Judith, Tobie, Maccabeorum &c. libri) à D. Hieronymo extra Canonicos libros supputantur, & inter Apocrypha locantur cum sapientia & Ecclesiastico, ut patet in prologo Galeato. Nec turberis Novitie, si alicubi reperies istos libros inter libros Canonicos supputari, vel in sacris Conciliis, vel in sacris Doctoribus. Nam ad Hieronymi limam reducenda sunt tam verba Conciliorum, quam Doctorum, & juxta illius sententiam ad Chromatium & Heliodorum Episcopos, & (si qui alii sunt in Canone Bibliis similes) non sunt Canonici, i. e. non sunt regulares ad firmandum ea, quæ sunt fidei. Possunt tamen dici Canonici, i. e. regulares ad edificationem fidelium, utpote in Canone Bibliorum adhuc recepti & autorisati. Hæc ille. Aut igitur Tridentini cum aliis Cardinali Cajetano pariter anathema dicunt, aut anathema illorum non nos, sed aëra ferire, facile intelligent.*

XVII. *Vt tamen iniquissima Tridentinorum sententia, quam in sacro suo, si Diis placet, Concilio contra nos sic satisterè pronuntiârunt, omnibus manifestò constet, ita ex præmissis argumentamur: Quicumque V. T. libri in Canone Ebraeorum non fuere, imò ante habitum Concilium Tridentinum pro non-Canonicis à plerisque adhuc sunt habiti, illos nec Concilium Tridentinum, nec ullum aliud, Canonicos facere potuit. Neque enim ex non-Canonico Canonicum Ecclesia (Concilium) facere potest, sed tantum declarare, quis sit habendus Canonicus, & hoc non temerè,*



remerè, nec pro arbitrato, sed ex veterum testimoniis & similitudine librorum de quibus ambigitur, cum illis, de quibus non ambigitur, ac demum ex communi sensu & quasi gustu populi Christiani, ut scribit Bellarm. l. i. de V. D. c. 10. Atqui Liber Tobia, Judith, Ecclesiasticus, Sapientia &c. in Canone Ebræorum nunquam fuere, imò pro non-Canonicis ante Concilium Tridentinum à plerisque adhuc sunt habiti, ut ex allatis Veterum testimoniis ad oculum patet. Ergo illos nec Tridentinum nec ullum aliud Concilium Canonicos facere potuit.

XIIX. Neq; v. quicquã illorũ causam iuvat, quod sub initiũ seculi V. Innocentius I Episcopus Romanus Sapientiam, Siracidem, Tobiam & Maccabæorum libros Canonicis annumeraverit, quod & deinceps in Concilio Carthagenensi III. Anno cccc ix. habito factum, cui S. Augustinus interfuit, qui pariter libros illos Ecclesiasticos Canonicis accenset l. ii. de Doctr. Christ. c. 8. Sciendum enim est Innocentium & Patres Concilii Carthagenensis aliosque hos secutos dum libros Ecclesiasticos sive Apocryphos Canonicis accensent, vocem Canonici latius usurpare, ita videlicet, ut Canonicos appellent libros quoscunque in Ecclesia ad ædificationem morum legi solitos & unã cum verè Canonicis uno volumine comprehensos, licet illi ad confirmationem fidei dogmatum nihil faciant. Hoc autem modo Canonici libri qui sunt, non statim pari in censu cum verè Canonicis sive divinis sunt habendi, ut Tridentini volunt. Et hæc quoque de Canone dixisse sufficiat, reliquis quæ, afferri in contrarium à Pontificiis solent, discursui reservatis.

XIX. Veluti autem Papistæ libris canonicis non Canonicos seu Ecclesiasticos jungunt eosdemque pari in honore cum verè divinis haberi volunt, licet tales non sint, aut certè tales esse non constet; Sic non contenti extenso hoc & non parùm au&to Canone suo Traditiones quas verbũ DEI non scriptum appellant, in consortium principii fidei Christianæ admittendũ esse maximo contendunt opere, sine dubio eo fine, ut humana sua commenta simplicioribus eo facilius persuadere ac errores suos melius colorare queant. Hanc Papistarum mentem satis clarè exponit

De Suffi-  
cientia  
Scriptu-  
re.

Tris



Tridentina Synodus dum sess. iv. decreto de Canonicis Scripturis tradit. salutarem veritatem & morum disciplinam in libris scriptis & sine scripto traditionibus, quæ ipsius Christi ore ab Apostolis acceptæ aut ab ipsis Apostolis Spiritu Sancto dictante ad se usque provenerint, contineri, quas proinde pari pietatis affectu ac reverentia suscipit ac veneratur ac ipsas Canonicas Scripturas, eidemque, qui prædictas traditiones sciens & prudens contemserit, anathema dicit. Quin et Bellarminus, Nos, inquit l. iv. de Verbo DEI non scripto cap. ii. asserimus in Scripturis non contineri expresse totam doctrinam necessariam sive de fide sive de moribus, & proinde præter verbum DEI scriptum requiri etiam verbum DEI non scriptum i. e. divinas & apostolicas traditiones. At ipsi docent in Scripturis omnia contineri ad fidem & mores necessaria & proinde non esse opus ullo verbo non scripto.

XX. Verum quidem est, nos ita docere, ita tamen, ut, dum omnia creditu & factu ad salutem necessaria in Scripturis Canonicis contineri asserimus, ea vel expresse & secundum literam, vel implicite & per consequentiam ibi haberi, adeoque Canonicam Scripturam sic perfectam & sufficientem esse ad salutem, doceamus, ut si non quoad verbum omnia, quoad sensum tamen nulla non fidei aut morum dogmata in ea contineantur. Atque hoc ita se habere, ex ipsa Scriptura facile est ostendere. S. Johannes cap. xx. ult. *Hæc, inquit, scripta sunt, ut credatis quod Jესus est Christus filius DEI & credentes vitam habeatis in nomine ejus: Quæ verba S. Augustinus tract. XLIX. in Johannem sic exponit, ac si dixisset: multa dominum Christum & dixisse & fecisse, quæ scripta non sunt: Electa sunt autem quæ scriberentur, quæ saluti credentium sufficere videbantur.* Si itaque ea, quæ Johannes de Christi doctrina & factis scripsit ita comparata sunt, ut per ea fides in Christum comparari & salus æterna obtineri queat, multo magis tota salutis parandæ sufficere Scriptura. Rursus ex II. Tim. 3. v. 16. *Ubi Apostolus ait: Didicisti à puero sacras literas, quæ te possunt instruere ad salutem per fidem quæ est in Christo Jესu: Omnis enim Scriptura divinitus inspirata utilis est ad arguendum ad corripiendum, ad erudiendum in justitia. Ut perfectus sit homo Dei, ad omne opus bonum*



bonum instructus; sic inferimus: Si Scripturæ V.T. cum nonnullis aliis, quæ tunc extabant, N. T. scriptis ad hoc sufficiebant, ut ad salutem plenè informaretur Timotheus, & perfectus Ecclesiæ Doctor redderetur, multò magis ex tota Scriptura salus poterit haberi, & perfectus Christianus reddi, tam quoad credenda quàm ad agenda, ita ut ad salutem ipsi nihil desit ampliùs; Sed verum est prius. E.

XXI. Adstipulantur nobis ex primitivæ Ecclesiæ Doctõribus cum multi alii, tum Cyrillus quoque Hierosolymitanus, qui Catech. IV. eorum qui illuminantur, hunc in modum scribit: *Oportet de divinis & sanctis mysteriis ne minimum quidem sine Scripturis tradere.* Et quibusdam interpositis: *Nec mihi simpliciter credas, nisi eorum, quæ prænuncio, demonstrationem ex Sacris literis acceperis: salus enim hæc fidei nostræ non ex iis constat, quæ ipse quis invenit, sed ex demonstratione S. Scripturarum.* Notum vulgò pariter & illud Augustini ex l. II. de D. C. cap. 9. l. *In iis, inquit, quæ aperte in Scripturis posita sunt, inveniuntur illa omnia, quæ continent fidem moresque vivendi, spem scilicet atque charitatem.* Quin & Lyranus veritatem Theologicam non nisi è Scripturis esse arcessendam discretè pronunciat præf. in Tob. *Sicut, ait ibi, in Scripturis Philosophicis veritas cognoscitur per reductionem ad prima principia per se nota: ita in Scripturis à Catholicis Doctõribus traditis cognoscitur, quantum ad ea, quæ sunt fide tenenda, per reductionem ad Scripturas Canonicas, quæ sunt habitæ ex divina revelatione, cui nullo modo potest subesse falsum.* Quibus jungimus ea, quæ Joh. Gerson Academiæ Parisiensis Cancellarius lib. de Examinat. Doct. p. 2. consid. 1. habet: *Nihil, inquit, audendum est dicere in divinis, nisi quæ à S. Scriptura nobis tradita sunt.* Cuius ratio est, quoniam Scriptura nobis tradita est tanquam regula sufficiens & infallibilis pro regimine totius Ecclesiastici corporis & membrorum usque ad finem sæculi.

XXII. Cœterum illud nobis primò minimè adversatur, quod ex S. Johannis cap. XXI. objiciunt Papistæ: *Sunt & alia multa quæ fecit Jesus, quæ si scribantur sigillatim, ne mundum quidem ipsum opinor capturum eos, qui scriberentur, libros.* Quem pro-

C

inde



inde Scripturæ locum pro stabiliendis traditionibus adducit Bellarm. l. IV. de V. D. c. 5. indeque constare afferit, multa fecisse Dominum, quæ scripta non sint. Enimverò neque nos affirmamus, omnia quæ Christus & fecit & docuit, literis esse consignata, sed hoc est, quod asseverare haut veremur, omnia quæ cognitu aut factu necessaria ad salutem sunt, in S. Scriptura contineri. Longè verò aliud est dicere, omnia ad salutem necessaria in Scripturis contineri; aliud, simpliciter omnia quæ & docuit & fecit Christus Sacro Codice comprehendi, nec qui prius affirmat, statim tenetur ad posterius. Bene S. Cyrillus Alexandrinus ad hunc locum: *Multa quippe miraculorum millia virtute Servatoris nostri facta esse cogitandum est, veruntamen illustriora tantum ab Evangeliorum præconibus, ut videatur scripta fuere, & per quæ maximè possent auditores ad incorruptam fidem firmari & doctrina tam morum quam dogmatum institui, ut recta fide conspicui, & operibus ad pietatem spectantibus variè illustrati, & ad ipsam supernam civitatem eVecti atque primogenitorum Ecclesie conjuncti in ipsum quoque regnum cælorum penetrarent in Christo.* Quod itaq; nō singula Christi miracula in literas sunt redacta, ex mente Cyrilli non impedit, quo minus omnia quæ ad fidem & mores faciunt, sive creditu & factu ad salutem sunt necessaria, Sacra Scriptura complectatur. Quin & Corn. Jansenius Gandavensis Episcopus commentariò Hist. Evang. in h. l. ita commentatur: *Scripserunt ea maximè ex multis Evangelistæ quæ ad Religionem & fidem & mores utiliora erant, magis que necessaria, quibus qui non credit, neque pluribus fidem habiturus esset; qui verò credit, alia ei non sunt necessaria, proinde & nos his contenti, diligenter his, quæ ab ipsis scripta sunt, attendamus.* Necessaria itaque, ad fidem & mores Evangelistæ scripserunt, quibus qui credit, alia ei non sunt necessaria, & per consequens traditiones non scriptas à S. Scriptura diversas pari pietatis affectu & reverentia, cum ipsa Scriptura suscipere & venerari necessum ipsi non est.

XXIII. Multò minus adversum nobis secundò est, quod ipse



iple Servator Joh. xvi. ad Apostolos dicit: *Adhuc multa habeo, quæ vobis dicam: sed nunc non potestis portare*; unde iterum Belarm. l. c. colligit, multa dominum dixisse, quæ tamen non fuerint in Scriptura comprehensa: Sensus enim est, ubi Spiritus S. venerit, non nova quidem dogmata, sed uberiolem dogmatum jam tum propositorum explicationem vobis est traditurus, juxta illud Christi apud Johannem cap. xiv. 26. *Ille (i. e. Spiritus S. quem mittet Pater in nomine meo) vos docebit omnia, & in memoriam vobis revocabit omnia quæ dixi vobis.* Quæcunque enim audiverat à Patre suo, nota illis fecerat, prius quàm Spiritus S. mitteretur Joh. xv. 15. Rectè iterum Christi mentem explicat Cyrillus Comm. in h. l. ita scribens: *Cum vos alios ex aliis, inquit (Christus) meus Spiritus effecerit, vestramque mentem reformaverit, ut legales demum figuras contemnere velitis ac possitis, & Spiritus cultus pulchritudinem amplecti umbrisque veritatem anteponeere, tunc, inquit, perfacile, quæ de me scripta sunt, intelligere poteritis: Plana enim & expedita demum in vobis doctrina locum habitura est.* Cum quibus ferè coincidunt; quæ Jansenius comment. in concordiam Evangelicam h. l. tradit: *Multa hæc, de quibus dicit Dominus: Adhuc multa habeo vobis dicere &c. rectè intelliguntur ea, quæ per adventum Spiritus S. didicerunt aperte & clarè de mysteriis Christianæ fidei. Aperta enim & clara explicatio horum non erant tunc capaces Apostoli. Non ergo multa hæc diversa quadam erant ab his, quæ hæcenus ipsos Dominus præsens docuerat, sed eorundem plenior & clarior expositio, sicut cum Paulus dicit Corinthiis: Non potui vobis loqui ut spiritualibus, sed ut carnalibus: tanquam parvulis lac vobis & potum dedi, non escam 1. Cor. III. 1. & 2. Sapientiam autè loquimur inter perfectos 1. Cor. II. 6 non vult significare, se alia docere perfectos, quam imperfectos, cum utrisque eandem prædicaret fidem, sed quod suæ prædicationis & fidei mysteria perfectius aperiret perfectioribus, sermonemque suum aptaret audientium capacitati.* Ita ergo nec hic locus probat, admittendas esse traditiones in rebus fidei & morum à Sacra Scriptura diversas, easque pari pietatis, affectu & reverentia cum divinis Scripturis habendas.



XXIV. Nec tertio denique nostræ sententiæ jugulum peti-  
 tit, quod Apostolus II. Thes. 2. 15. scribit: *tenete traditam doctrinam quam edocti estis sive per sermonem, sive per epistolam nostram.*  
 Ex quo tamen loco solo Becanus manuali Controvers. lib. 1. c. 2. probari posse confidit, extare quasdam traditiones Apostolicas, quæ quamvis in Scripturis non extent, parem tamen cum iisdem auctoritatem habeant. Primò enim nondum constat, an illa quoque, quæ ex traditione apostolica extra epistolam acceperant, ad salutem essent creditu & factu necessaria. Ponamus tamen Apostolo de illis hæc loci sermonem esse, quæ ad salutem præcisè sunt necessaria, nondum tamen ex eo licet inferre, quòd vivò sermone tradita planè aliena fuerint ab illis, quæ literis deinceps ab eo sunt consignata. *Habetote,* scribit h. l. Theodoretus, *regulam doctrinæ, sermones, quos vobis tradidimus, quos & præsentibus vobis predicavimus & absentes scripsimus.* Quapropter nec hic locus Papistarum in tantum favet sententiæ, ut ex eo per bonam inferri queat consequentiam, traditiones Apostolicas à verbo DEI scripto diversas, quibus dogmata ad salutem necessaria contineantur, extare, quæ proinde pari reverentiâ cum doctrinis Scripturis haberi & suscipi oporteat.

XXV. Verùm istis diutius immorari, instituti nostri non est. Pergimus igitur ad alia. Quemadmodum autem Scriptura Sacra omnia ad salutem scitu necessaria comprehendit, ut hac ratione Traditionibus sive verbo non scripto opus hodie hautquaquam sit: ita hujus quæ sunt generis, ad eum modum proponit, ut non tantùm cum fructu ab iis, qui linguarum, quibus illa consignata aut in quas translata est, peritiam sibi acquisiverunt, legi, sed facili quoque negotio intelligi queat. Hoc ut rectius constet, notandum ducimus, nos, quando Scripturam claram dicimus & perspicuam, non id velle, ac si res fidei sive *mysteria à seculis abscondita* Eph. III. 9. captumque & intellectum humanum longè transcendentia in Scripturis posita in se clara sint & perspicua, utpote quæ obscura & inevidentia esse res ipsa loquitur; multò verò minus nos negare, quædam

*Dusvân. 202*



*δυσώνυμα* sive intellectu difficilia in ea reperiri, fatente id S. Petro. II. Ep. III. 16: sed hoc est, quod dicimus, omnia ea, quæ creditu & factu ad salutem necessaria sunt, claris & perspicuis verbis in aliquo Scripturæ loco proponi, adeo ut nullus fidei articulus, nullumque morum præceptum sit, quod non perspicuè alicubi in Scriptura exprimat.

XXVI. Horum respectu cum primis S. Scriptura *lucerna pedibus nostris* dicitur, & *lumen semitis nostris* Psalm. CXIX, 105. & *lucerna lucēs in loco caliginoso*, II Petr. I. 20. *Quid est hoc verbū*, ait S. Augustinus enarrat. in Psalm. CXIX. Conc. XXIII, quod ita *lumen dicitur, ut lucerna sit*, (ait enim, *Lucerna pedibus meis verbum tuum, & lumen semitis meis*) nisi verbum intelligamus, quod factum est ad Prophetas, vel quod predicatum est per Apostolos? Nam & verbum Propheticum lucernæ comparans Apostolus Petrus: *Habemus*, inquit, certiore Propheticum sermonem, cui benè facitis intendentes, velut lucernæ lucenti in obscuro loco. Quod itaque hic ait: *Lucerna pedibus meis verbum tuum & lumen semitis meis; verbum est, quod Scripturis Sanctis omnibus continetur*. Si itaque verbum, quod Scripturis Sanctis continetur, lumen est & lucerna, sanè quoad ea non erit obscurum, quorum intuitu lumen & lucerna dicitur, cum id, quod obscurum est, ea ratione, qua obscurum est, lumini vel lucernæ comparari nullo modo queat, multò minus lumen vel lucerna appellari. Quod si Evangelium (sive Scriptura etiam quoad ea, quæ ad salutem sunt necessaria,) *tectum est, in iis, qui pereunt, tectum est in quibus Deus hujus seculi excacavit mentes infidelium, ut non fulgeat eis illuminatio gloriæ Christi*, ceu Apostolus scribit II Cor. IV. 4. idque perspicuitati Scripturæ in se quoad ea, quæ ad salutem creditu aut factu necessaria sunt, nihil officit, cum id, quod per accidens obscurum est, hoc non obstante per se clarum sit & maneat, pari modo ut sol, quando per interpositas nubes obscuratur, in se lucidus esse non desinit. Et præterea si Scriptura est idonea ad hoc, ut possit eam attentè legentem *sapientem reddere ad salutem per fidem, quæ est in Christo Jesu*, ut dicit Apostolus II. Tim. III. 15.



minimum quoad ea, sine quibus salus obtineri nequit, perspicuam illam esse oportet.

**XXVII.** Idem nobiscum prisca docet Ecclesia: Et seculo quidem II. Irenæus l. II. c. 46. ita scribit: *Universa Scriptura & Prophetica & Evangelica in aperto & sine ambiguitate & similiter ab omnibus audiri possunt, in his scilicet, quæ ad salutem sunt necessaria.* Sub finem seculi III. vixit Lactantius Firmianus, qui perspicuitatē Scripturæ hisce inculcat verbis l. VI. Div. Inst. c. 21. *Homines literati cum ad Dei religionem accesserint, si non fuerint ab aliquo imperito doctore fundati minus credunt. Assueti enim dulcibus & politis sive orationibus sive carminibus, divinarum literarum simplicem communemque sermonem pro sordido aspernantur. Idem enim querunt, quod sensum demulceat. Persuadet autem, quicquid est suave, & animo penitus, dum delectat, insidet. Num igitur Deus & mentis, & vocis, & lingue artifex disertè loqui non potest. Imo vero summa providentia carere fūco voluit ea, quæ divina sunt, ut omnes intelligerent, quæ ipse omnibus loquebatur.* Seculo IV. Chrysostomus cum superioribus paria docet Homil. III. de Lazaro inter alia sic scribens: *Fieri non potest, ut omnia (quæ in Scripturis legis) ignores, propterea siquidem Spiritus gratia dispensavit illa temperavitque, quo publicani, piscatores, tabernaculorum opifices, pastores & Apostoli, idiotæ illiterati per hos libros salvi fierent, ne quis idiotarum ad hanc difficultatis confugere possit excusationem, ut omnibus facilia conspectu essent, quæ dicuntur, ut & opifex & famulus, & vidua mulier, & omnium hominum indoctissimus ex audita lectione aliquid lucri utilitatisque reportaret. Non enim ad inanem gloriam, quemadmodum Ethnici, sed ad audientium salutem hæc omnia composuerunt, quod ab initio Deus designatus est gratia Spiritus. Siquidem hi, qui sunt à Christo alieni Philosophi dicendi artifices, Rhetores & librorum conscriptores, non quod in commune conducit, quarentes, sed illud spectantes, ut ipsi sint in admiratione, etiam si quid utile dixerint, hoc quoque quemadmodum in caligine quadam sapientie consueta illis occultavit obscuritas. Apostoli verò ac Prophetæ omnia contrà fecerunt, manifesta claraque, quæ prodiderunt, exposuerunt omnibus, veluti communes*



munes orbis Doctores, ut per se quisque discere possit ea, quae discuntur ex sola lectione.

XXIIX. Saeculo V. claruit S. Augustinus Hipponensis in Africa Episcopus, qui lib. II. de doctr. Christ. c. 6. circa finem idem confirmat his verbis: *Magnifice & salubriter Spiritus S. ita Scripturas Sanctas modificavit, ut locis apertioribus fami occurreret, obscurioribus autem fastidia detergeret. Nihil enim ferè de illis obscuritatibus eruitur, quod non planissime dictum alibi reperitur.* Idem cap. 9. sequentia addit: *Illae quae in Canonicis (Scripturae libris) aperte posita sunt vel praecepta vivendi, vel regulae credendi solertius diligentiusque investiganda sunt. Quae quando quisque plura invenit, tanto est intelligentia capacior. In iis enim, quae aperte in Scriptura posita sunt, inveniuntur illa omnia quae continent fidem moresque vivendi, spem scilicet & charitatem.* Jungetur hisce ex saeculo XIII. Thomas Aquinas part. I. quaest. I. art. 10. ad 1. ubi ista leguntur: *Ex solo sensu literalis potest trahi argumentum, non autem ex iis, quae secundum allegoriam dicuntur. Non tamen ex hoc aliquid deperit S. Scripturae, quia nihil sub spirituali sensu continetur fidei necessarium, quod Scriptura per literalem sensum alicubi manifestè non tradat. Juxta Thomam igitur & ea, quae ad fidem pertinent, manifestè in Scriptura traduntur.*

XXX. Agmen tandem claudat Gabriel Vazquez, cujus in partem III Thomae tom. II. quaest. LXXV. Disp. CLXXIX. haec cap. 6. sunt verba: *Dogmata fidei, quod omnibus proponendum est ut credatur, ineptè per tropos & figuras traditur, cum facile omnes de eo possent dubitare: Atque ita videmus omnia fidei nostrae dogmata, quae omnibus credenda hactenus proposita fuerunt, non figuratè, nec verbis impropriis, sed aperte & propriissimis vocibus (in Scriptura) tradita fuisse.* Et iterum post aliqua: *Quod attinet ad dogmata, licet aliqua in Scriptura metaphoricè explicentur & figuratè, tamen nulla sunt, quae hoc modo primo tradantur & omnibus proponenda ut credantur: quae mirum non est si metaphoricè & per figuram aliquam explicentur.* — Et ita Augustinus l. 2. de D. C. c. 6. & 9. inquit *nihil esse obscure dictum in Scriptura, quod ad mores aut fidem spectet, quod in aliis locis planissime dictum non sit. Quid poterat dici apertius?* Ex Vazquezii igitur confessione etiam  
omnia



Omnia quæ fidem & mores concernunt, seu quæ creditu & factu ad salutem necessaria sunt, planissime in Scripturis docentur & proponuntur: id quod & nos docemus.

XXX. Papistæ è contrario ut vim argumentorum è Scripturis petitorum eò facilius declinent, eas non tantum insufficienciæ, sed obscuritatis etiam insimulant more antiquorum hæreticorum, de quibus Irenæus l. iii. c. 2. tradit, quod *cum ex S. Scripturis arguuntur, in accusationem convertantur Scripturarum, quasi non rectè habeant, neque sint ex autoritate, & quia variè dictæ, & quia non possit ex his inveniri veritas ab his, qui nesciant traditionem.* Quæcunque verò pro stabilienda sententia sua afferunt Pontificii frivola sunt & nullius planè momenti. Ex eo sanè, quod Apostolos ea, quæ Christus de sua passione, morte & resurrectione prædixerat, non intellexisse, scribit Lucas c. 18. nequaquam evinci potest S. Scripturam quoad ea, quæ ad salutem cognitu sunt necessaria, esse obscuram. Recitatis scil. his Christi verbis: *Ecce adscendimus Hierosolymam & perficientur filio hominis omnia, quæ scripta sunt per prophetas: tradetur n. gentib; & illudetur, & contumeliis afficietur & conspuetur, & postquam eñ flagellaverint, trucidabunt: sed die tertia resurget; illicò subjungit, Evangelista v. 24. Ipsi verò (Apostoli) nihil horum intellexerunt, erantq; verba ipsis occulta, nec cognoverunt, quæ dicebantur.* Existimandum non est, verba hæc Christi adeò obscura fuisse Apostolis, ut, quid denotarent, intelligere haut potuerint; verum hoc erat quod intellectu penetrare non poterant, quomodo nimirum hæc Christi verba, cum iis quæ de regno suo pariter prædixerat, consistere & conciliari possent. Breviter, verba ipsa utpote quæ clara erant & perspicua, bene intelligebant; res verò verbis illis notatas satis non assequerantur. Rectè Joh. Maldonatus Comm. in cap. Marci 9, 32. *Intellexerunt (Apostoli) quid & moriendi & resurgendi verbū significaret, eumq; & moriturum & resurrecturum credebant, ideoque ut ait Matthæus, contristati sunt; — Hoc a. erat quod non intelligebant, quomodo hæc verba, quibus se Christus ad moriendum dicebat ire, cum illis convenirent, quibus tam sæpe dixerat, regnum suum ap. propinquare, atq; ideo dicuntur ignorasse verbum.* Quib; Maldonati verbis & nos disputationem hanc finimus.

F I N I S.



96789

AB: 96789

ULB Halle

3


005 835 186



Vd 17











*Q. D. F. F. Q. E. I.*  
DISCVSSIO  
PRÆCIPUO.  
RVM FIDEI CAPI-  
TVMINTER PROTESTAN-  
TES ET PONTIFICIOS CON.

TROVERSORUM  
DISPUTATIONIBUS ALIQUOT COMPRE-  
HNSA, ET PÛBLICE IN ILLUSTRI JVLIA  
AD EXAMINANDUM PRO-  
POSITA

PRÆSIDE  
BALTHASARE CELLARIO  
SS. THEOL. D. ET PROF. PUBL. NEC NON  
SVPERINT. GENER.

AUTHORE & RESPONDENTE  
JOHANNE ALBRÉCHT.  
HILDESIENSI.



HELMESTADII,  
TYPIS JACOBI MÛLLERI.  
ANNO clc lcc LXVII.

*Valentin Bernh.  
Mylus.*

78.